

80 QVIBVS VITIO DATA IMMODICA COPIA. CAP. III

Neque quicquam mea refert, si quibus vel immodica vel perperam
 LB 5 affectata copia vitio data est. | Nam in Stesichoro Quintilianus no-
 tat nimis effusam et redundantem copiam: sed ita notat, vt vitium
 esse fateatur non admodum refugiendum. Aeschylo probro datur
 85 in vetere comoedia, quod bis idem dixerit: ἦκω καὶ κατέρχομαι.
 Interdum Seneca vix fert Maronem eundem sensum bis aut ter ac-
 cinentem. Et ne frustra longum catalogum recenseam, non defue-
 runt qui M. etiam Tullium vt Asianum ac redundantem nimiaque
 luxuriantem copia damnarent. Sed haec, vt dixi, nihil ad me perti-
 90 nent, qui quidem non quomodo scribendum aut dicendum sit
 praescribo, sed quid ad exercitationem faciat ostendo, vbi quis ne-
 scit omnia iusto maiora esse debere. Deinde adulescentiam in-
 struo, in qua Fabio non displicet orationis luxuries, propterea
 quod facile quae supersunt iudicio resecentur, quaedam etiam ae-
 95 tas ipsa deterat, cum interim tenuitati atque inopiae nulla ratione
 mederi queas.

EIVSDEM ARTIFICIS ESSE BREVITER ET COPIOSE DICERE. CAP. V

Iam si qui sunt, quibus vsque adeo placet Menelaus ille Homeri-
 cus οὐ πολύμεθος, rursus displicet Vlysses fluminis instar hy-
 100 bernis aucti niuibus ruens, si quos impendio laconismus ille et
 breuiloquentia delectat, ne hi quidem nostro labori debent obstre-
 pere, quippe quem nec ipsi sint infrugiferum experturi, propterea
 quod ab eadem ratione proficisci videatur, vt vel breuissime dicas,
 vel copiosissime. Siquidem quemadmodum argute Socrates apud
 105 Platonem colligit, eiusdem hominis esse scite seu mentiri seu ve-
 rum dicere, ita non alius artifex melius ad breuitatem arctabit ora-
 tionem quam qui calleat eandem quam maxime varia supellectile
 locupletare. Nam quantum ad

I
mal
cor
ma
side
gio]
no).
volt
non
sian
sto,
sco
vi a
di a
glio
escl
cap:

(
πολ
mile
ancl
star
lore
gola
Soc
lo s
il d
con

110 verborum attinet breuitatem, quis constrictius dixerit quam is cui
 promptum sit ex immenso verborum agmine, ex omni figurarum
 genere, statim deligere quod sit ad breuitatem accommodatissi-
 mum? Rursum quantum ad sententiae breuitatem, cui magis in
 manu fuerit rem quam paucissimis expedire verbis quam qui co-
 115 gnitum ac mediatum habeat, quae sint in causa praecipua quasi-
 que columnae, quae proxima, quae locupletandi negotii gratia sint
 ascita? Nemo certe citius certiusque videbit quid citra incommo-
 dum possit omitti quam is qui quid quibus modis addi possit, vi-
 derit.

DE STVLTE AFFECTANTIBVS VEL BREVITATEM VEL COPIAM. CAP. VI

120 Quod si casu vel huc vel illuc ducimur, periculum est ne nobis v-
 su veniat quod quibusdam laconismi *κακοζήλους* videmus eueni-
 re. Qui cum pauca dixerint, tamen in ipsis paucis multa supersunt,
 ne dicam omnia. Sicut e diuerso imperitis copiae affectatoribus e-
 uenit, vt cum immodice loquaces sint, tamen parum dicant, multa
 125 nimirum dictu necessaria praetereuntes. Nostrae igitur praeceptio-
 nes eo spectabunt, vt ita rei summam quam paucissimis complecti
 possis, vt nihil desit; ita copia dilates, vt nihil redundet tamen; li-
 berumque tibi sit cognita ratione, vel laconismum aemulari si li-
 beat, vel Asianam illam exuberantiam imitari, vel Rhodiensem
 130 mediocritatem exprimere.

DVPLICEM ESSE COPIAM. CAP. VII

Porro duplicem esse copiam non arbitror obscurum esse vel Fabio
 declarante, qui inter caeteras Pindari virtutes praecipue miratur
 beatissimam illam rerum verborumque copiam. Quarum altera
 135 consistit in synonymia, in heterosi siue enallage vocum, in meta-
 phoris,